„ nerabilis Imperatoris Isaacii Comneni, inter alia, „ hæc decernit. Statuit vero Imperatoria mea Majes„ tas, ut pro ordinatione Sacerdotum & Canonico, ve„ tus forma obtineat: & nihil amplius pro ordinatione „ alicujus, Episcopus qui ordinat, recipiat, quam so„ lum septem aureos nummos, videlicet, unum, quan„ do eum Lectorem creat: tres vero, quum Diacona„ tum confert: & alios tres, quando Sacerdotem perfi„ cit. Et similiter decretum Synodicum, quod sanci„ tum est sub Michaële Patriarcha, pro Canonico, a „ loco, qui triginta caminos habet, unum nummum „ aureum, argenteos duos, arietem unum, hordei mo„ dios sex, vini mensuras sex, tritici modios sex, & „ ὄρνιθας gallinas triginta. Sed & aliud Edictum Synodi„ cum sancitum est sub Patriarcha Nicolao, quod se„ cundum hanc Auream Bullam solvi jubet Canonica, „ & quæ pro Ordinatione solent „. Ubi notanda duo: Primum, quod in consuetudinibus pro ordinatione dari solitis, nulla fit *Subdiaconorum* mentio, id fortasse factum, aut quia una simul *Lector* & *Subdiaconus* ordinari consueverant; aut quia *Subdiaconi soli* nihil præbebant. Quod enim in Synodica Nicolai Patriarchæ, mox recitanda, dicitur, *Diaconis nempe & Subdiaconis nihil præbentibus*, emendandum puto, & nomen *Diaconorum* omnino expungendum: hi enim ibidem, *tres nummos aureos* in sua ordinatione præstare ordinanti, disertim dicuntur. Alterum notandum, quod ea *septem nummos* in ordinationibus Lectoris, Diaconi, & Presbyteri præstandi ratio, *antiqua forma* ab Isaacio Comneno appellatur: cujus tamen formæ initium neque in Patriarcharum Synodicis, neque in Imperatorum Novellis reperitur. *Nicolaus*, cognomento *Grammaticus*, Patriarcha Constantinopolitanus, qui ab anno 1084. ad 1111. sedit, in sua Synodica, illud Synodale præceptum ad *Alexium Patriarcham* refert, qui Constantinopolitanam Sedem ab anno 1026. ad 1043. obtinuit. Ejus verba accipe, apud Freherum Tom. 1. Jur. Græc. Rom. pag. 269.

Nico-